

BALDERVS MAGVS.



BAlderus filius fuit Othini celeberrimi apud Septētrionales populos magi. Hic paternis artibus instructus, res mirabiles peregit, atque ab omnibus diuinitatis honores acquisiuit, anno 3240. Cum autem Balderus eandem puellam Nannam cum Hothero rege deperiret, magnæ cōtentiones inter eos exortæ fuēre, adeò ut tandem res aliquoties ad crudele prælium deuenerit. In ijs Balderus suis præstigijs plerunque uictor extitit, atq; Hotherum suo regno eiecit. Cum uero tādem Hotherus paribus artibus instructus esset, obuij Balderi latus hausit, eumq; seminecem prostrauit. eo uulnere tri duo elapo Balderus obiit, Danis eius fortunā publico mœrore prosequentibus. Vnde exercitus eius corpus, regio funere elatum, factō colle condendum curauit. Eum tumulum quidam longo post tempore, ueteris sepulturæ fama uigente, noctu adorti, spe reperiendæ pecuniæ, repentina horroremoti, cœptum reliquerunt. Sax. Gram. Hist. Dan. lib. 3,